



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ezechielis Spanhemii Dissertationes De Praestantia Et Usu Numismatum Antiquorum

Spanheim, Ezechiel

Amstelodami, 1671

Prima Commendatio Numismatum à Dignitate 1. ob Antiquitatem.
Veterum Reliquiae quales & quanti jam olim habitae. 2. ob Durationem.
Comparatio Nummorum cum aliis monumentis. 3. ob Argumenti ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-12878

4 DISSERTATIO PRIMA

los, aut vitæ institutum, aut naturæ propensio revocavit. Diversa rursus aliorum ratio est, qui vel usu, vel opportunitate ad tractanda id genus monumenta destituti, non contemtu, sed mera ignorantia reconditæ in iis utilitatis, in sequiorem sententiam de illis eorumque æstimatoribus adducuntur. Cum postremo hoc hominum genere, hic mihi rem esse, & me in eorum gratiam, quidquid hoc est laboris suscipere, ingenue hic in limine profiteor. Nec enim priorum arcæ, aut peculio, modum statuere vel debeo, vel possum; aut alias homines, omnis remotæ Antiquitatis contemtum professos, ad meliorem sententiam, vel mentem potius revocare constitui. Minus quoque id mihi propositum hoc loco, ut immodica aut præpostera hujus æris æstimatione, cæteris litterarum præstigiis ac ornamentis suum detraham pretium; vel ut hoc industriæ genus, ceu necessarium vitæ instrumentum, singulis hominum ordinibus, tractandum & excolendum promiscue suadeam. Unus hic mihi scopus, ut præclaram antiquitatis partem ab interitu, & eorum judicia, qui plurimum illi solent tribuere, à ludibrio vindicem; tum ut ab iis, qui veteris elegantia & eruditionis amore vel studio ducuntur, egregiam & laudabilem in eadem versanda operam collocari posse ac debere, apertum manifestumque faciam.

COMMEN-
DATIO A
DIGNITA-
TE.

I.
Ob Anti-
quitatem.

ATQUE ut hinc initium ducam, unde Nummis pretium continuo accedit, ipsa hujus industriæ DIGNITAS, mirum quam multiplici nomine se commendet. Si *Antiquitatis* enim habenda hic ratio, quem non moveat clarissimis monumentis testata consignataque vetustas? Quamquam non is ego sum, qui præsentium fastidio, vete-

veterum tantum desiderio teneat, & jacentes quasque ac sepultas vetustatis reliquias, pro reconditis Thefauris continuo habendas putem. Nimia hic nonnunquam, fateor, aut supervacanea quorundam cura, quibus venusta omnia quæ vetusta, & sola antiquitas aut rubigo pretium, non usus aut elegantia conciliat. At si Rudera tamen varia, Columnæ, Statuæ, Lapides, Urnæ, Pateræ, Fibulæ, Lampades, Simpula, Anuli, Tesserae, aliaque veteris Romanorum vel Elegantia, vel Supellectilis monumenta commendationem adhuc habent, quid de Nummis statuendum sit, in quibus non muta illa ferme aut mortua, sed spirans adhuc quasi & rediviva universa sese offert Antiquitas, facile per se quisque potest arbitrari.

Magna utique, OCTAVI eruditissime, antiquitatis in omni hoc Monumentorum genere reverentia, non hujus solum, aut superioris ætatis, sed remotioris etiam cujusque mentes incessit. Hinc Annales veterum evolvendi, tot passim sese offerunt studiose quæ sita jam olim, & retenta cupidius priscae omnis memoriae vestigia. Qualia frequenter quidem legimus, Ossa Gigantum, Arma reliquamve Heroum supellectilem vel memoriam, Belluarum Membra, Victoriarum præmia aut instrumenta, quibus vel Deorum Tempia, vel Prætoria Principum, vel elegantiorum hominum Atria passim exornabant. Apud Gaditanos Pygmalionis aurea Oliva; apud Argivos Atrei Phiala; apud Arcadas Corium Apri Caledonii; apud Beneventinos Dentes ejusdem animalis; apud Delphos Pindari Sella; apud Metapontinos Sedes Pythagoræ; apud Tingitanos Parma Antæi; apud Olympios Arca Cypseli; apud Agrigentinos Taurus Phalaridis; apud Lacedæmonios Ovum Ledæ, aut Hasta Agefi-

*Antiqua
supellectilis
pretium a-
pud ipsos vo-
ceret.*

lai, apud Thurinos Sagittæ Herculis; apud Lemnios Thorax & Arcus Philoctetis; apud Athenienses Ancora à Mida Gordii filio reperta; apud alios Pelopis Ensis; Teucris Baltheus; Achillis Hasta; Ensis Memnonis; Timothei Cithara; Torquis Helenæ; Iphigeniæ Gladius; Monile Eriphyles; Sella Dædali; Lucerna Epicteti; Rostra navium, tanquam errorum Ulyssis monumenta; Niciæ Clypeus; Scutum Euphorbi; Magni Alexandri Scuta & Thoraces; aliaque id genus diligenter & religiose adservata leguntur, quæ ex Tullio, Strabone, Mela, Josepho, Plutarcho, Athenæo, Pausania, Æliano, Justino, Philostrato, Dione, Gelio, liceret hic pluribus commemorare: scilicet

Reliquias, veterumque vides monumenta virorum.

Nec alia fuit jam olim, ut nosti, Æternæ urbis Religio, circa Heroum suorum memoriam ac monumenta; qui Navim Ænæ, Ficum Ruminalem, Casam Romuli stramentitiam, Lituum, Cotem Navii Auguris, ut alia mittam, haud minus cupide vel accurate à Majoribus vestris recondita meministi; adeo etiam ut iidem Procopio tradantur alicubi præ aliis ejusmodi rerum studiosi. Immo vero haud aliter ac Vatum parentis olim Patria, sic id genus quoque Reliquiæ, acri haud unius urbis æmulatione multiplicatæ nonnunquam; unde lib. xxxv. apud Dionem legas duas Cappadociæ civitates, utramque Comanæ nomine, gladium Iphigeniæ habere & ostentare, quem verum illius esse autumant. Agnoscis, ut opinor, incunabula illius moris, qui haud absimiles Reliquias, ceu totidem monumenta Christianorum veterum, pari studio & cultu, ac eodem nonnunquam in iis venditandis & multiplicandis fato, paulatim conecravit. Neque vero ut vides, Urbs una forte aut Regio, sed communis quasi Gentium consensus, suum olim

10th. lib.
v. cap. 22.

ib. xxxv.

olim antiquariæ suppellectili pretium apposuit. Græcos quidem homines, qui cæteris ad humanitatem & elegantiam præluxere, omni illa vetustatis memoria præ cæteris etiam delectatos, lætum quippe antiquitatibus genus, ipsi veteres fati superque tradidere. Hinc non semel prædicant illorum in iis colligendis industriam; in dedicandis religionem; in visendis alacritatem; in conservandis studium; in retinendis constantiam; adeo ut nullum ex priscis id genus ornamentis, vi aut pretio eripi sibi volentes paterentur: *Nulla* ^{In Vetre[m]} *unquam civitas, inquit Tullius, tota Asia & Græcia signum ullum, tabulam pictam, ullum denique ornamentum urbis, sua voluntate cuiquam vendidit. Urbem nempe integram unum aliquod vetustum opus nobilitabat; unde propter solum Cupidinis signum visebantur olim Thespis; nam alia visendi causa nulla est. Immo quid dicerent hodie urbani homines, si novi Romæ hospites, omissa omni aliorum illius decorum commemoratione, in laudanda ærea & equestri M. Aurelii Statua potissimum acquiescerent? At audiant urbanitatis omnium parentem, agentem de urbe Græcarum omnium nobilissima pulcherrimaque, Syracusis nempe, apud quas pictura quadam perantiqua equestris Agathoclis* ^{In Vetre[m]} *nihil nobilius, nihil quod magis visendum putaretur. Non* ^{1 v.} *quæ alibi idem Orator extollit illius urbis ornamenta;* non celebris Arethusa; non fora maxima; non pulcherrimæ porticus; non ornatissima prytanea; non amplissima curia; non egregia templa; non amœnissimus portus; non ipse ex omni aditu vel terra vel mari præclarus ad adspectum situs, (qui ante biennium nimio opere me delectavit) parem loco celebritatem aut gratiam conciliarunt. Una picta vetusti operis tabula idonea visa est, quæ præ decoribus aliis, advenarum

oculos

oculos in se converteret. Hinc certum jam olim illud hominum genus in celebrioribus oppidis, qui novos hospites ad visendas res vetustate aut raritate notabiles deducerent; easdemve explicarent, quos ἐξηγητῆς aut ἑρμηνευτῶν ἐξηγητῆς passim vocantem videas Paufaniam. Alias Siculis dictos eosdem Mystagogos, ex Tullio insuper discimus: ut qui vulgo hic in Urbe aut in aliis Italiae oris funguntur eo munere, dignitatem hinc suam ac titulos discant; *Hi qui hospites, inquit, ad ea quae visenda sunt ducere solent, & unumquodque ostendere, quos illi Mystagogos vocant.* Ita fugillat forte aliquis, aut recentius putat eorum institutum, qui domos hodie & pinacothecas, instructas omni antiquaria suppellectile exornant summo studio, nec minoribus impendiis; qui in Sacariis recondunt; qui peregrinos & hospites ad eadem ultro ac libenter admittunt. Eadem fuit jam olim sollicitudo nobilissimorum cujusque urbis civium, ut domos haberent ornatissimas omni hoc veteris elegantiae genere; ut vasibus vel Corinthiis vel Deliacis, gemmis, signis aeneis, marmoreis, eburneis, pictis tabulis aut textilis operae, aliisve ornamentis prisca & elegantis operis, famam loco, & sibi laudem apud externos pariter ac cives conciliarent. De Sthenio Thermitano civitatis suae nobilissimo Tullius: *Etenim Sthenius ab adolescentia paullo studiosius haec compararat, suppellectilem ex aere elegantiore & Deliacam, & Corinthiam, tabulas pictas, etiam argenti benefacti, prout Thermitani hominis facultates ferebant satis; qua cum esset in Asia adolescens studiose ut dixi comparabat, non tam suae delectationis causa, quam ad invitationes adventusque nostrorum hominum amicorum suorum atque hospitem.* Idem alibi de Heii principis Mamertinorum domo plena vetustissimorum signorum; *Messanam ut quisque nostrum venerat, haec visere solebat,*

In Verrem
19.

In Verrem
21.

In Verrem
17.

bat, omnibus hæc ad visendum patebant quotidie; domus erat non domino magis ornamento quam civitati. Nonne credas designari, aut Palatium Farnesianum vel Barberinum; (ut tot alia hic mittam præclaris id genus Cimeliis instructa) aut Florentiæ Pinacothecam Maximi Principis, aut Mutinæ Gazam Heroum Estensium, aut Mediolani Museum Manfredi Septalæ, viri ornatissimi, quæ ut referta omni hoc veteri ornamentorum genere, & omnibus ad visendum patent quotidie, & singularem quandam domino non solum, sed loco etiam celebritatem commodant. Ne vero artis olim aut materiæ, non autem vetustatis præcipuam quandam rationem habitam quis putet, en locupletem tibi testem eundem Tullium, in ea Oratione qua expilatam à Verre Siciliam conqueritur. In id enim videas Oratorem incumbere totis viribus, ut spoliatione vetusti cujusque operis, ceu immanium criminum ferie, invidiam reo potissimum creet; *Nam domus, inquit, erat ante istum prætorem nulla paullo locupletior, quæ in domo hæc non essent, etiamsi præterea nihil esset argenti; Patella grandis cum sigillis ac simulacris Deorum: patera qua mulieres ad res divinas uterentur; thuribulum: hæc autem omnia ANTIQUO OPERE & summo artificio facta.* Alibi, ut in vetustate id genus monumentorum præcipuam religionem positam ostenderet; *Sthenius vero non solum negavit, sed etiam ostendit id fieri nullo modo posse, UT SIGNA ANTIQUISSIMA monumenta P. Africani ex oppido Thermitanorum incolumi illa civitate, imperioque populi Romani tollerentur.* Item alio loco; *Qui accessistis Ennam vidistis simulacrum Cerevis è marmore, & in altero templo Libera; sunt & per amplia atque præclara, sed NON ITA ANTIQUA. Ex ære fuit quoddam modica amplitudine ac singulari opere cum facibus PER ANTIQUUM, omnium illorum quæ sunt in eo fa-*

In Verreina

11.

Quod vero hic potissimum agitur, inter tot res vetu-
 state spectabiles, priorum ætatum Numismata locum
 jam olim haud ignobilem habuere. Hinc apud Dio-
 nem, oratorem illum & philosophum elegantissimum, Circa
 Nummo-
 rum Stu-
 dium.
 lego, Homerum antiquas voces nonnunquam adhi-
 buisse, *ὡς περ νόμισμα δεχάϊον ἐκ ἡρώων μὲν ἀδέσποτον.*
Sicut NUMISMA aliquod VETUS ex Thesuro quopiam
domino carente depromptum. Ita eundem illum Augustum
 ut omnia alia selectiori vetustatis memoria, sic Num-
 mis etiam antiquis & exoticis delectatum, non obscure
 licet colligere; qui illo quoque munusculorum genere
 amicos suos solitus fuit nonnunquam prosequi. Unde
 hac de re Tranquillus, *Saturnalibus* & si quando alias li-
 buisset, modo munera dividebat vestem & aurum & argen-
 tum; modo NUMMOS omnis notæ, etiam VETERES
 REGIOS AC PEREGRINOS. Ita ut hac ratione
 plures ad tractanda id genus monumenta invitaret, ne
 de ævi sui infelicitate usurpari posset aliquando illud
 Symmachi, *Speclatorum VETERIS MONETÆ solus* Lib. III.
super sum. Præ reliquis autem, & instar omnium testis Ep. II.
 hujus moris luculentus Jurisconsultus, qui Numisma-
 tum aureorum vel argenteorum VETERUM, QUI-
 BUS PRO GEMMIS uti solent, usumfructum legari Pompon.
 D. de usi-
 fruct.
 posse definivit.

Difficile vero hic fateor suam singulis tot Gentium De Anti-
 quitate
 Nummo-
 rum.
 & locorum Nummis ætatem, aut Antiquitatis præro-
 gativam, uni alterive adsignare. Nec id agimus hoc lo-
 co. In Romanorum, aut Romani Orbis Nummis, res
 minus habet difficultatis; qui aut sub Cæsaribus, Im-
 peratorum vultu signati, aut stante Republica, præ-
 stantissimorum civium ætatem ferme præ se ferunt. In
 Nummis vero Græcorum & Asiaticorum, ante admis-
 sum Romani imperii jugum cufis, res incerta & minus

Lib. v.

vulgata; quum magna eorum pars certis locorum insignibus, nulla, aut obscura temporis nota sit distincta. Ita ut de iis non immerito possit usurpari, quod de quadam Herculis statua refert Pausanias, adeo vetustam esse, ut aetatem illius nemo possit prodere. At certe plurimos ex iisdem Nummis, liberis adhuc Græcorum rebus, h. e. florente Persarum imperio percussos, ex Nummis cum Macedonum aliquot, Philippo, & Alexandro vetustioribus; tum Græcorum, qui antiquiorum Magistratum nominibus signati; præterea Sicularum aliquot vetustissimorum, liquidum mihi fit ac manifestum. Cujus etiam vetustatis haud leve indicium arguunt antiquæ in iis scripturæ vestigia, quæ suo loco indicabuntur. Nec enim de primæva Nummorum antiquitate nobis hic sermo, & an infra Palamedis tempora signatæ pecuniæ origo referri debeat, ut Philostrato in Heroicis placuisse memini. Illud saltem hinc mihi facile, ut spero, largientur, non usque adeo contemnendam, aut alibi facile obviam videri adfurgentem supra duo millia annorum vetustatem.

2.
Ob Durat
tionem.

Tusculan. 1.

Antiquitatis enim illam in Nummis prærogativam ac dignitatem, *Duratio* certe eorundem maxime arguit. Nummos immortalitatis studium & cura invenit, sicut sepulchrorum monumenta & Elogia; ut de iis alibi differentem Tullium nosti. Nec enim alia custodia rerum gestarum memoriæ fidelior; ut quod de literis in genere Livius, ad Nummos potiori quodam jure referre mihi liceat.

Hæc ævi veteris custos famosa vetustas.

Intellexere hoc (quod etiamnum hodie in publicis operibus aut solennibus, sequior ætas feliciter æmulari) quicumque propagandi ad posteros nominis immensa & laudabili quadam cupiditate flagrant. Hinc vultus

vultus suos, aut res gestas, dignas sæculorum memoria, Libris quidem, Columnis, Saxis, Tropæis, Tabulis, Statuis; sed tanquam iis non confisi, Nummis quoque consignari voluerunt: ut certiori quodam æternitatis pignore, se suaque ab oblivione vindicarent. Hanc certe mentem aperte declarant illa Principum verba vel edicta apud Cassiodorum; *Verum hanc liberalitatem no-* Lib. v r.
stram alio decoras obsequio, ut figura vultus nostri metallis cap. 7.
usualibus imprimatur, MONETAMQUE facis de nostris
temporibus FUTURA SÆCULA commonere. O magna
inventa prudentum! Hæc nempe monumenta suæ formæ ac nominis, non tanquam dimittenda cum vitæ tempore, sed quasi cum omni posteritate adæquanda relinquebant. Quo spectat Ducis illius Græci apud Athenæum facinus, qui ubi nummos curasset spargi ad perpetuam memoriam, in campis & ruinis Corinthi, tum demum tanquam voti jam reus, mori non dubitavit. Inde etiam crebræ illæ ac solennes, quæ occurrunt in Nummis veterum Formulæ, ÆTERNITATI AUGUSTI; ÆTERNÆ MEMORIÆ; PERPETUITATI AUG. ROMÆ quoque ÆTERNÆ; quibus, quam Divorum honoribus ac Templis nequidquam quærebant immortalitatem, his monumentis quodammodo sunt apud posteros consequuti.

*Sic auferre rogis umbram conatur, & ingens
Certamen cum morte gerit, curasque fatigat
Artificum, inque omni te querit amare METALLO.*

Nec enim eos hic vel ratio, vel eventus fefellit. Alia Duratio
illorum
Comparatio
cum aliis
Monumen-
tis. quippe opera in eorum gloriam incisa vel erecta, præclara quidem illa & diuturna, materiæ tamen aut temporum injuria, breviori quadam annorum circumscriptione fuerunt oblitterata. *Et tamen illis omnibus, inquit Tertullianus in Apologetico, & statuas defunditis, &*

imagines inscribitis, & Titulos inciditis IN ÆTERNITATEM. Magnificæ etiam sunt illæ voces, quibus extructiones civibus pro Repub. defunctis decernendas statuit alicubi Tullius; *Erit igitur extructa moles opere magnifico, incisa litteræ divina virtutis testes sempiterna; ita pro mortali conditione vitæ immortalitatem estis consequuti.* Hæc ipsa tamen nonne demolita est & obscuravit obli-
 vio, invidit aut abolevit posteritas? *Templa, Theatra, Arcus, Tropæa,* (ut paucis rem hic potissimum obviam complectar) quot aut qualia hodie supersunt? Nec de antiquissimis Græcorum Tropæis hic loquor, quæ olim non è faxis, sed è vulgaribus lignis constitisse refert
 Lib. xiii. Diodorus, eo animo ne inimicitiarum monumenta essent diuturna. Illa potius opera reputemus, quæ non ad *temporariam moram*, ut Theatrum Scauri, de quo magnifice adeo Plinius alicubi loquitur; sed ad *æternitatis destinationem* erant erecta: ut male tamen pleraque spem illam æternitatis implerunt, quorum vix ruinae aut vestigia ab aliquot jam sæculis conspiciuntur! *Librorum* veterum obnoxium tot injuriis fatum, & deploratam sæpius, nec tamen satis unquam lugendam jacturam, quis illiteratus adeo aut nescit, aut ita ferreus quotidie adhuc non ingemiscit! Alexandrina incendia, & notam Urbis calamitatem omitto; vel una Phottii Bibliotheca, quantum ab octingentis annis perierit monumentorum id genus, nimis luculenter testatum facit. Unde & illa jam olim querela disertissimi rerum
 Livius l. ii. Romanarum scriptoris, qui si quæ in Commentariis Pontificum, aliisque publicis privatisque erant monumentis, incensa Urbe pleraque tradit interiisse. *Picturæ*, quæ vix sæculorum aliquot edacitatem effugiunt, ita ad diuturnitatem memoriæ longe adhuc minus habent præsidii. Hinc obsoletas jam ævo suo insignes

gnes aliquot pictas Tabulas, queritur non semel Pausanias, in ea vetustiorum operum, quam passim instituit, commemoratione. Unde Tullius quoque, Rempublicam suorum temporum confert alicubi picturæ non solum evanescenti vetustate, sed coloribus etiam & extremis lineamentis destitutæ. Apellis utique nomen novimus, opera ignoramus; neque scilicet jam ulli patet ad visendum

In Attic. & Arcad.

In Fragm. de Repub.

Linea quæ veterem longe fateatur Apellem.

Non illa Venus Anadyomene amatores amplius addicit; non Alexander ille cum fulmine, mortali Alexandro felicior; non miles ejus Antigonus, alibi quam in Nummis superstes; non alia denique decantata Protogenis, Parrhasii, Zeuxidis, hoc est præstantissimorum Artificum miracula, oculos hodie nostros oblectant. Vix aliqua eorum vestigia Romæ supererant ævo Petronii, qui inspecta quædam id genus, ut singulare spectaculum commemorat: *Nam, inquit, & Zeuxidis manus vidi, nondum vetustatis injuria victas, & Protogenis rudimenta.* Fragmenta aliquot tenuia & obscura picturæ veteris, quæ in Aldobrandinis Hortis, Palatio Farnesiano, & apud summæ cum amplitudinis, tum comitatus virum, Camillum Maximi, etiamnum hic occurrunt, dolorem potius & desiderium, quam voluptatem & solatium spectatoribus adferunt. *Statue, Signa, Lapides, Marmora,* ut præstantia & diuturnitate materiæ ad memoriam æternitatis comparata, sic propitio magis fato, sæculorum vim & oblivionem temporum eluisse videntur. Habet adhuc, fateor, in hoc genere Italia, & Roma vel maxime, quo præclaram etiamnum & jucundam pristini decoris speciem advenarum oculis subjiciat. Laocoon Vaticanus jam Plinii tempore, pro supremo Artis conatu habitus; Hercules cum Farnesianus,

nus,

nus, tum Capitolinus; Venus Medicæa; Seneca & Gladiatores Borghesiani; illa M. Aurelii statua Equestris; aliaque nonnulla singularis & divinæ cujusdam præstantiæ opera, ad publicum stuporem & exemplum etiamnum hic supersunt. Sed præterquam quod manca multa sint ex iis & mutila, quot & quanta sunt, si cum veterum Statuarum numero & amplitudine conferantur? Certe de solis Statuis æreis notat alicubi Se-

Varian. lib. *eas parvam populum urbi dedisse, quam natura præcre-*
 111. c. 15. *vit: Tertullianus vero in Apologetico; nondum enim*
tunc ingenia Græcorum atque Tuscorum fingendis simulacris
urbem inundaverant. At vide quid de Statuarum id ge-

Minus in *illa autem aurea & innumerabiles strage & rui-*
 Paneg. *na publico gaudio litaverunt. Hinc singulas statuas conse-*
 crari quidem ut æternas, observat alicubi Dio Chry-

Or. xxxvii. *stomus, sed easdem cum vario fato, tum longinqui-*
 tate temporis interciderere agnoscit. Quod ipsum præ-

De vit. *clare alicubi etiam expressit Eusebius, qui hominibus*
 Constant. *ad solatium mortis, & æternitatis contemplationem,*
 lib. 1. c. 2. *quæsitæ Imagines, Statuas, ac Monumenta id genus*
commemorat, quæ tamen omnia caduca & brevi ef-

Lib. lxi. *sent interitura. Unde apud alterum Dionem Mæce-*
 nas, Augustum ab aureis & argenteis Statuis erigendis
 dehortatur; quod parum illæ soleant esse diuturnæ,
 certe quas tempestate, vi, vetustate interire alicubi

Philip. ix. *Tullius agnoscit. Non solum de Jove Olympio Phi-*
 diæ, aut Venere Praxitelis hic loquor; non de immen-
 sa illa Statuarum multitudine, quibus aut Urbis fora,
 aut Viæ publicæ, aut privatorum Villæ collucebant;
 non de innumerabilibus illis Deorum simulacris, quæ
 eodem cum Diis suis fato perire. Illos fidereos Co-
 lossos Solis, Neronis, Commodi, qui quo cælo propio-

res,

res, æternitatis quoque spem minus dubiam habere videbantur, aut plane interiisse, aut eorum aliquot laceros & dissipatos artus jacentes intuemur. Mitto direptas Urbis à non uno Cæsare Constantinopolitano Statuas, aut certis quibusdam locis inclusam & definitam earum copiam, aliis ferme gentibus inconcessam. Nummi vero integri magis, incorrupti, cum materiæ beneficio, tum artis compendio; amplitudine vero locorum, in quibus eruuntur, numero præterea & varietate longe hic præponderant. De *Lapidibus* vero, quibus vulgo inscripta veterum Elogia, & impressa etiã, neque apud solos Ægyptios, antiquissima memoria monumenta, agemus alibi. Quamquam illud venustissimi Poëtæ haud ignoras,

Tacit. Ann.
nal. x 1.

Tabida consumit ferrum, lapidemque vetustas.
aut alterum Vatis Burdegalensis,

Miramur perisse homines, monumenta fatiscunt,
Mors etiam Saxo, nominibusque venit.

Ut certe consulentibus hic nobis subinde antiqua illa Marmora, quæ nullo ævo aut macie fenescere posse videbantur, nullibi liqueat manifestius, quam verus falem ille Vates fuerit qui & Saxo multam nocere fenectam adseruit. Tale equidem, non hic vendito Monumentorum id genus, in quod unum nihil fenectæ, nihil flammis, nihil posteritati liceat, denique *A quibus omne ævi senium sua fama repellit.* Verissime Suada Romana: *Nihil enim est aut opera, aut manu factum, quod aliquando non conficiat & consumat vetustas.* Sempiternum ea ratione dicimus, qua pro mortali vitæ conditione, fatalis terminus si non tolli funditus, ad immensum tamen tempus ætatis produci videtur. Adeo ut immortalẽ illam vitam, quam sibi nequidquam secundus augurabatur Ptolemæus, solam hæctenus eidem

Cicero pro
Marcello.

Athen.
Num. Deip. lxxi.

C

Num. Deip. lxxi.

Ep. 2. de
Cruce.

Nummi præstiterint, in quibus ille se adhuc hodie conspicendum præbet. Incredibilem alias Nummorum multitudinem, carie quoque, & casibus variis consumptam, aut etiamnum sepultam non diffiteor, & si ad veterum signatam pecuniam subducatur, minimam illam & contemnendam forte, Cl. Salmasio alicubi id asserenti lubens concedam. At si rursus eadem cum residuis aliis monumentis veterum conferatur, si Nummorum, qui in Europa Asiaque, aut jam reperti, aut quotidie è terræ visceribus eruuntur, numerus reputetur, si antiquitatis eorundem ratio qualiscunque habeatur, incredibilem adhuc quandam, & prope infinitam illorum tum copiam, tum varietatem, omnes, qui vel mediocrem eorum usum habent, mirari ultro & fateri cogentur.

3.
Ob Argu-
menti No-
bilitatem.

Nec Dignitatem illa Nummorum *Argumenti* in iis expressi *Nobilitas* minus arguit, vel ostendat. Sacram artem Statuariam vocat alicubi in descriptionibus suis, ille qui Philostrato comes addi solet Callistratus. SACRAM MONETAM vero, & Nummi ipsi continuo reclamant, & Constitutiones Principum abunde loquuntur. Hinc celebris jam olim illa lex Cornelia, aliaque statuta, perpetuo quodam Gentium consensu stabilita, quibus à temerariis contrectatoribus & falsariis immunis eadem vindicatur. Immo nec SACRAM solum sed DIVINAM etiam videas eandem nuncupatam sub Christianis Principibus: ut in veteri libello incerti Auctoris adjuncto veteri Notitiæ Imperii, qui augendi ærarii & conservandæ Monetæ rationem exsequitur: & in quo unum caput occurrit cum lemmate: *Felix inchoatio SACRÆ DIVINÆQUE MONETÆ*. Ne mirum jam videatur si tanta Numinis illius veneratio Christianorum adhuc mentibus infedit, neque aliud

aliud videas ex omni Divorum ordine tot aris coli, aut tot supplicum votis fatigari. Hinc eadem jam olim Monetæ in Nummis veterum, quæ Æquitatis effigies; ut ex æquo nempe religio utriusque & reverentia traderetur. Mitto JUNONIS etiam, & APOLLINIS MONETALIS expressa, & adorata olim simulacra; ut vel ex iisdem Nummis adhuc hodie colligimus. Talem utique circa illos religionem, signati in iisdem Principum ac Dominorum vultus passim conciliarunt. Unde jam olim ingeniosissimus vates, de simili Cæsarum imagine ad se transfusa:

*Argentum felix omnique beatus auro,
Quod fuerit pretium cum rude, numen habet.*

In Ponto
lib. 11. El. 3.

Factum enim haud inconsulto, ut inter alias dominationis artes, hæc quoque sit à Regibus passim & Cæsariibus admittenda; ut imago Principum subjectos videretur pascere per commercium, quorum consilia invigilare non desunt pro salute cunctorum. Ita colendam eorum imaginem facile singuli credidere, quorum nutu & auspiciis florens respublica, & incolumes privatorum fortunæ servabantur. Immo ea ratione provisum, ut tanquam præsentibus ubique & manifestis in eorum etiam oculos incurrerent, qui longius alias à Principum suorum conspectu submoti, in diversis terrarum partibus sub eorum tutela ac imperio acquiescebant. Quo etiam spectant illa ejusdem Poëtæ exulis, & Augustum, Liviam ac Tiberium absentes in argenteis eorum imaginibus recolentis,

Cassiodor.
lib. vi. Ep.
7.

*Nos quoque vestra juvet, quod, qua licet, ora videmus:
Intrata est superis quod domus una tribus.
Felicis illi qui non simulacra, sed ipsos
Quique Deum coram corpora vera vident.*

C 2

Quod

*Quod quoniam nobis invidit inutile fatum,
Quos dedit ars votis, effigiemque colo.*

Hinc *aternalis illos vultus violare*, religio quædam veterum (utinam pariter omnium recentium) antiquiorum mentes incescit. Unde ille apud Artemidorum Stratonicus, putabat se Regem calcitrasset, qui progressus invenit aureum ejus numisma, quod ignarus forte calcaverat. Capitale certe fuisse Tiberianis temporibus, apud Senecam & Suetonium legimus, effigiem illius Cæsaris Nummo vel Annulo impressam, latrinæ aut lupanari intulisse. Quod egregie illustrat ille apud Philostratum locus, qui doctorum virorum effugit diligentiam; ubi in claro Pamphylæ oppido impietatis nonnemo damnatus legitur, qui servum verberibus adfecerat ferentem forte drachmam argenteam, in qua expressa erat Tiberii effigies. Quo referri etiam debet infelix casus juvenis illius ex equestri ordine, qui ultimo supplicio destinatus à Caracalla legitur, quod nummum signatum ejus imagine in lupanar intulisset, ut observat Dio in Excerptis Peireskii. Plures id genus omitto majestatis postulatos, ob imaginem Cæsarum promiscuis usibus violatam; cui etiam diademata sua & tiasas soliti olim subicere Orientis Reges; ut non de uno Arfacida ac Tigrahe narrant rei Romanæ Scriptores. Hinc vultus Nummis signare, inter præcipua olim Majestatis arcana receptum; quod Severum Clodio Albino singularis privilegii loco concessisse, tradit Herodianus; ac inter præcipuos honores matri Helenæ à Constantino exhibitos refert Eusebius. Unde etiam de Rufino imperium adfectante Claudianus,

Onciroc.
lib. 11. c.
33.

Lib. 1. de
vit. Apol-
lon.

Lib. 111. de
vit. Con-
stant. c. 47.

— *Et quod post vota daretur,
Inscribi propriis aurum fatale figuris.*
Exagitat nempe vesanam Rufini illius superbiam,
qui

qui ad supremum Cæsareæ Majestatis apicem nihil sibi reliquum fecerat, quam ut Nummis aureis suam imprimeret effigiem; quod tamen ea ætate solis Romanorum Imperatoribus in toto orbe usurpabatur. Eandem etiam vefaniam in Procopio Augusti fastigium ambiente Valentiniani temporibus, notaverat jam ante Ammianus, qui tradit ejus asseclas nullo præter petulantiam adjumento confisos, AUREOS scilicet Lib. xxvi.

Nummos effigiatos in vultum novi Principis, aliaque ad illecebras aptantes. Hanc enim tum unicam toto orbe Augusti fastigii prærogativam docet nos alter Procopius, qui tradit præter Cæsares, folis Francorum Regibus sub Justiniano primum concessum, nummos aureos sua ornare effigie; non autem idem licuisse Persarum, aliorumque Barbarorum Regibus vel Tyrannis. Locus hanc in rem eximius, & quem operæ pretium erit adscribere; ubi narrat Francis Germania profectis stabilem Galliarum possessionem adseruisse Justinianum, & ab eo tempore Germanorum Reges Massilia & vicinis locis potitos Arelate Circensibus præfedisse, additque,

Νόμισμα ἢ χρυσὸν ἔκ τ' ἐν Γάλλοις μετέλλων πεπίλυται. Οὐδ' Goth. lib.

Ῥωμαίων ἀυτοκράτορ (ἢ περ' ἑθνεῶν) χαρακίηρα ἐντέλλοι τῶν ἐπιτηρῶν τῶν τετῶν, ἀλλὰ τ' σφετέρων αὐτῶν εἰκόνα, καίτοι νόμισμα μὲν ἀργυρῶν ὁ Περσῶν βασιλεὺς ἢ βέλοισι, πικρὸν εἶδη. χαρακίηρα ἢ ἴδιον ἐμβαλεῖσθαι ἐπιτηρῶν χρυσῶν, ἐπὶ τ' αὐτῶν ἀρχόντων ἡμῶν, ἐπεὶ ἡ ἄλλων ὀλιγαρχῶν βασιλεία τ' πύλων βαρβάρων, καὶ πάντα μάλλον ὄντα χρυσῶν κύριον. ἐπεὶ εἶδε τις ξυμβάλλουσι περιεῖσθαι τὸ νόμισμα τῶν οἰκίων εἶσιν, εἰ καὶ βαρβάρους τὸς ξυμβάλλοντας εἶναι ξυμβάλλουσι. Unde manifeste licet eruere, primo singularem hanc fuisse prærogativam Romanorum Cæsarium, nummos aureos sua signare effigie. Secundo, eam Francorum Regibus firmatis in possessione Galliarum à Justiniano, eximii privilegii loco

ab eodem Cæsare primum concessam: Tertio, nemini Barbarorum, nequidem Regum Regi, vel iis etiam apud quos aurum nascebatur, idem licuisse. Quarto, rationem hujus moris eam fuisse, quod nullus usus futurus fuisset nummi ejusmodi aurei cum illorum Regum effigie; cui nullus utpote in commercio locus, ne quidem ubi negotium erat cum Barbaris, in toto orbe Romano relictus erat. Hic postremorum verborum sensus, quem non per omnia expressit novissimus Propertii interpres, & qui paulo intricatior legitur in versione Grotiana, ut sicut fieri solet in opere posthumo, quædam ibi obrepisse contra mentem aut scripturam viri magni existimem. Vetus alias hæc illorum Gallia tractuum prærogativa, ut Romanorum Præfectis liceret in iis monetam auream & argenteam cudere; sicut de Lugduni Præsidibus commemorat alicubi Strabo. Nec sacram tamen solum hanc prisca ævi memoriæ æterni illi vultus, ut alia quoque iisdem Nummis contenta arguere mihi & comprobare videntur. Religio veterum (ut paucis res prope innumerabiles complectar) & universa Sacrorum apud eos ratio; Ritus solennes Belli ac Pacis; Victoriarum vel Instrumenta vel Præmia; Gentium ac Urbium Heroës, & Insignia; Figuræ Virtutum aut Vitiorum symbolica; Animalium, aut Plantarum nobiliorum Effigies; Fabricæ denique & Opera publica, quasi ad memoriæ æternitatis vel extracta vel instaurata. Ampla utique, & digna materia, quam non ignobiles manus tractent!

Lib. IV.

4.
Ob splendorem, & Auctoritatem Nummos tractantium.

Et sane vel hinc potissimum splendor eximius, & decus quoddam peculiare hujus Nummorum tractationis exurgit. Quum enim pleraque alia veneranda vetustatis monumenta excolantur passim privatorum studiis, nescio quomodo supra aliorum fastigium, hæc ipsa

ipsa vel fors sua, vel Dignitas exexit. Adeo ut ex quo elegantiores quæque artes ac disciplina, è situ vetustatis erutæ, nitorem aliquem & cultum admiscere; nulla ex iis aut Candidatos nobiliores, aut patrocinium splendidius consequuta videatur. Ut certe, si honos alit artes, & gloriâ homines ad studia incenduntur, nulla jam hisce, de quibus agimus, potiora, & in majori quadam celebritate versari fatearis. Equidem longa res foret Cæsarum, Regum, Principum, Illustrium Togatorum, & amplissimi cujusque ordinis Virorum nomina recensere, qui in Nummorum veterum delectum & curam certatim quasi incubuere. Quot aut quam luculenta exempla hæc vestra Italia, harum ar- *Italarum.* tium Parens & alrix suppeditat? Ita quidem intelligo, extitisse Avorum vestrorum memoria Domum MEDICÆAM, æternam illam Musarum Hospitem, quæ ut humanitatem omnem & eruditionem sinu suo excepit ac aluit, ita prima quoque suam veterum Nummis dignitatem adseruit. Non meum illud solum, sed viri docti hac de re testimonium; *Si Nummos antiquos* *Laurent.* *in pretio primum habitos à MEDICÆIS contendero, nemo* *Pignor. E-* *repugnabit opinor.* Fidem his adstruit Philippus Comi- *pist. Syn-* *bol. xv 1.* næus, testis ut alienigena, ita oculatus & exceptione major; qui aliquot millium aureorum Numismatum, *Lib. vii.* & argenteorum copiam quandam immensam, suo tem- *c. 9.* pore jam à Medicæis collectam, ac Italiæ in hoc genere præstantissimam refert. Unde & illum Urbis suæ Principem ac Mæcenatem quondam suum LAURENTIUM Medicæum commendabat jam olim eo nomine decus illud vestrum ac simul elegantiorum litterarum Politianus; *Quamquam & vetustas Codicum & N U-* *In Præfat.* *Miscellan.* *MISMATUM fides, & in æs aut Marmor incise antiqui-* *tates, que tu nobis Laurenti suppeditasti, plurimum etiam* *præter*

præter librorum varietatem nostris commentationibus suffragantur. Hæsit vero eadem vel crevit potius in FRANCISCO Magno Etruriæ Duce sollicitudo, sub quo congestus ille vel adauctus Nummorum veterum Thesaurus, quem inter Europæ primarios, summa cum voluptate Florentiæ ante biennium inspeximus. Hæret hæc eadem in LEOPOLDO Etruriæ Principe, qui ut flagranti omnium præstantissimarum artium ac disciplinarum amore, & assiduo patrocínio, ita Nummorum quoque veterum peritiâ singulari, & eximio quodam delectu excellit. Nihil famæ hic damus, sed documentis iis, quæ comitas ejus fastigio non minor, nobis aliquoties suppeditavit. Hanc Domus Medicæ gloriâ feliciter æmulata est Domus ESTENSIS, Heroum an Musarum nescio utrum felicior parens; quæ has cognatas veterum Cæsarum Effigies, suis quoque imaginibus inferendas credidit. ALPHONSUM certe Mutinæ Ducem, nuper admodum teris ereptum, memini collectos id genus à Majoribus Nummos, præclaros & luculentos, summa cum peritiæ & delectationis significatione, coram mihi visendos exhibuisse.

Et ducis implevit visus veneranda vetustas.

Geminum studium in EUGENII IV. Purpurato Nepote, celebraverat jam ante Æneas Sylvius, Pii II nomine & dignitate celebrior; Antonius, inquit, S. Marci Cardinalis Eugenii Quarti Summi Præsulis Nepos, incredibile est quam multa Numismata veterum conquiescit Imperatorum & Principum, amator & hic vetustatis est. In hujus quoque laudis societatem venere superiori seculo, ALEXANDER FARNESIUS, & JACOBUS BUONCOMPAGNI, quorum studio Musea instruatissima omni id genus supellectile, præcipua fama florere & florent etiamnum. Nec inferior in hoc laudis

Not. ad
Ant. Panor.
Apoph.

dis genere Urbis lumen ac decus, FRANCISCUS BARBERINUS, in quem summa omnia honoris, fortunæ, virtutis, ac doctrinæ ornamenta facto agmine confluxere. Ut alios omittam inferioris quidem ordinis, magnæ tamen amplitudinis & existimationis viros superiori sæculo conspicuos, *Andream Lauredanum*, diligentissimo Sigonio non semel eo nomine laudatum, & *Sebastianum Erizzo* Venetos, *Annibalem Caro*, Picenum, *Carolum Molsam* Mutinensem, *Vincentium Pinelli* Genuensem, *Comitem Joannem de Lazara* Patavinum, *Marchionem Niccolini*, & *Carolum Strozza* adhuc superstitem Florentinos, & nuper Urbi ac Musis ereptum *Cassianum à Puteo*, aliosque magno numero propriis juxta ac his alienis veterum imaginibus insignes. Tres certe hic omittere non possum, & genere claros, & Nummorum supellectile ac peritia in Urbe celebres etiamnum ac florentes, *Feliciam Rondanini*, Parentis & Filii purpura, sed ingenii, sapientiæ, & eruditionis dotibus longe magis fortunatam; *Camillum Maximi*, in quo antiquæ juxta & elegantes artes præclarum hospitium ac præsidium habent; & *Franciscum Gottifredi*, spectatæ adeo in talibus fidei ac industriæ, ut omnis Antiquariorum Natio fasces illi meritissime submittat.

Nec extra Italiam vestram, minus aut splendoris, aut dignitatis, hæc veteris ævi memoria videtur etiam consequuta. ALPHONSUM illum, non tam regni amplitudine, quam ingenii gloria celebrem, collecta per Italiam Cæsarum Numismata, in eburnea arcuula diligenter adseruisse, iisdemque supra modum delectatum accepimus. Dignitate quidem inferiorem eadem dedit Hispania, sed quem religio foret præterire hoc loco, *Antonium Augustinum* Tarraconensem Archiepiscopum, quo nemo adhuc forte felicius hanc ornavit

Extra Italian.

Anton. Patrimonian. Apoph. Alfonf.

Hispaniarum.

D

pro-

provinciam, aut lucem illi ac dignitatem suam luculentius adferuit. Alios quosdam dignatione præcipuos, ut *Martinum Arragonensem* Ducem Villæ Formosæ, & *Ferdinandum Velasco* magnum nuper in Castilia Equitum Magistrum, addictos etiam huic elegantia, memorant docti aliquot Hispaniæ Antiquarii. Ut præteream hoc loco *Vincentii Lactanosa* cum laudatam abunde à peregrinis testibus, tum erudite adferatam vernaculo opere in omni hoc studiorum genere ac delectu industriam. Et cur in viciniore vobis Sicilia mitto, aut Buteræ Principem *Fabritium Francoforte*, Aurei Velleris Equitem, è cuius admirabili Nummorum veterum Thesauro, longo annorum spatio collecto, ingentes divitias hausisse sese fatetur Paruta diligens patriorum Numismatum collector; aut *Jacobum Bonanni* Montalbani Ducem, ac *Vincentium Mirabellam*, super claritatem natalium, plurimum laudis & famæ in hoc litterarum genere propriis ingenii monumentis consequutos; aut denique *Antonium Chiaramonte*, *Josephum* & *Franciscum Faiia*, aliosque ejusdem tractus amore & studio hujus antiquariæ suppellectilis haud leviter commendatos? Germania vero **RODOLPHUM II**, & **FERDINANDUM II** Cæsares, **LEOPOLDUM** præterea Archiducem proxime defunctum, præclaros utique & luculentos hujus memoriæ vindices ac æstimatorum vidit. Plures ex eadem Gente sese offerunt, & primi quidem ab Augusto fastigii Proceres, geminae laudis æmuli, ac inter alios duo superstites, **FRIDERICUS GULIELMUS BRANDENBURGICUS**, & **CAROLUS LUDOVICUS PALATINUS**, Electores; de quo postremo plura dicerem hoc loco, nisi in eo Principis non solum, sed etiam Domini personam revererer. Hoc unum modestissime dicam, eum col-

Vid. Museo de la Med. dal. Hispan.

In Itinerariis quibusdam Hispaniæ.

Siculorum.

Germanorum.

collectam à Majoribus lautissimam Nummorum veterum supellectilem, & nova subinde accessione locupletare, & præclarum his artibus, ut omnibus aliis egregiis & laudabilibus, pretium inter paucos statuere. Accedit hodie in eadem vicinia avitæ Stirpis Princeps, DURLACENSIS Marchio, quem ab annis aliquot eadem circa Nummos Veteres cura & sollicitudo feliciter incessit, ut sciret nempe,

quid Ausonia scriptum crepet igne Moneta?

Ne jam in eundem album referam, vel *Marcum Velzerum* Augustanum Duumvirum, vel nostratem *Marquarilum Freherum*, aliaque minorum quidem gentium, nec ignobilia tamen aut indecora Germaniæ suæ ornamenta. Sed ut ad illustriores hujus elegantiae cultores redeam, en tibi Danorum folio feliciter hodie insidentem *FRI-DANORUM.*
DERICUM III, præter alia decora, eruditum quoque his artibus, ac omnis hujus antiquitatis, ut perhibent, diligentissimum investigatorem. Nec vero prætereundum arbitror, licet è remotiori adhuc Pannonia, & superiori præterea sæculo accersendum, ingenii operibus nobilem *Joannem Sambucum*, inter *Pannonorum.*
primos hujus memoriæ adsertores, jure quodam suo referendum. Belgium *ARESCHOTANI* Ducis, in *Belgarum.*
collegendis antiquis Nummis operam ac industriam singularem, Lipsii præconio jam olim laudatam, celebravit, quam vel ex vulgato illorum Thesauro, cuius licet hodie æstimare. *Levinum* etiam *Torrentium* dedit eadem regio, omnis hujus elegantiae non expertem; ut arguunt viri alias Infularum ornamentis conspicui monumenta; *Marcum Laurinum* præterea, Huberti Goltzii Mæcenatem, ob summam de his studiis bene merendi voluntatem, non ab eodem solum, sed etiam ab elegantis eruditionis Jurisconsulto haud perfuncto-

I. Ravard.
Præfat. ad
Leges XII
Tabularum.

ric commendatum: *Moriar*, inquit, *si præter te quemquam habemus reliquum, per quem aliquam antiqua Romanorum Reip. imaginem possimus agnoscere. Continget tibi haud scio an nemini, ut tua in conquirendis per omnem terrarum orbem NUMISMATIBUS INDUSTRIA, non grata modo eruditis hominibus, sed etiam popularis futura sit.* Sic alios insuper ejusdem tractus, cum splendore munerum aut natalium, tum egregia in his studiis facultate insignes, vel ex idoneo ipsius Goltzii, clari quoque his artibus & monumentis testimonio, luculenter colligimus. Quibus certe liceat mihi adnumerare, cum *Nicolaum Rocco* Equitem, *Andrea Schotto* perhibente, rei omnis antiquariæ ac Numismatum peritissimum; *Gasparem Gevartium* proxime defunctum; haud parum nobilitatos his artibus *Rubenius*; *Schinkelium* præterea *de Valcour*, & eidem coelo insertum, *Jo. Jacobum Chiffletium*: ne complures alios huc advocem ex eadem gente, nostro aut superiori sæculo, illo studio haud mediocriter incensos. Gallia vero, ut vetustiores mittam Proceres, Regium Principem *GASTONEM AURELIANENSEM*, florentem nuper omni hac laude, in eamque serio incumbentem suspexit. Ut jam de Viris felicitæ memoriæ nec de face, quod in enumerandis claris Oratoribus Tullio suo Atticus exprobrabat, haustis, *Gulielmo Choul*, *Josepho Scaligero*, *Paulo Petavio*, *Fabritio Peireskio*, *Jacobo Sirmondo*, *Joanne Tristano*, aliisque præclaris in ea Gente & amplissimi ordinis Viris nihil dicam, qui in ornanda & excolenda id genus vetustate egregiam & luculentam operam poluere. Nec minus hodie vel supersunt in eadem gente, vel exornant hanc memoriam, Viri vel eo nomine sæculorum memoria digni, quales aut Regii sanguinis tradux *HENRICUS BORBONIUS*, *Dux Vernolii*, elegans

Galorum.

elegans omnis hujus industriæ fautor & admirator; aut
 consultissimus divini atque humani juris *Gulielmus La-*
monio Senatus Princeps; aut non *Ærarii* solum, sed
 præcipuarum Regni curarum Administer, fama for-
 tunaque celeberrimus *Joannes Baptista Colbertus*; aut
 vetustate familiæ suæ dignissimus *Achilles Harleus*; aut
 inter *Ærarii* Curatores adlectus probatæ pridem fidei
 ac industriæ *Sevius*; aut qui ingenium illustre altiori-
 bus studiis dedit *Ludovicus Henricus Lomenius* Briennæ
 Comes; aut *Æduorum* Senatus una cum *Philiberto de*
la Mare, & *Joanne Baptista Lantino* lumen ac ornamen-
 tum *Bohierius*. Equidem mea etiam expectatione ma-
 jorem animo cepi voluptatem, cum viderem coram
 non semel, Viros, cum auctoritate, tum sapientia, aut
 ingenii laude florentes, omnem hanc supellectilem ex
 auro, argento, ære, elegantiore studiose comparare;
 domos eadem habere instructas, quæ, quod de prin-
 eipe Mamertinorum *Tullius*, non domino magis orna-
 mento sunt quam civitati. Neque vero opus apud
 te prædicare Virum utriusque nostrum, cum amicitia
 tum studiorum id genus communione conjunctum,
 eundemque omnium consensu principem in hoc ele-
 gantiæ genere, *Petrum Seguinum*, D. Germani Antistite-
 tem; aut præterea non adeo *Gazæ* & *Bibliothecæ* Re-
 giæ custodia, quam præclaris animi ac doctrinæ doti-
 bus spectatum *Carcavi*; aut denique non reticendum,
 qui hanc Spartam feliciter jam exornavit & prope-
 diem decorabit ulterius *Carolus Patinum*. Britannia
 quoque ejusdem gloriæ æmula, & *CAROLUM* Re-
 gem nuper defunctum, hac omni veterum elegantia
 se oblectantem, & *Bukingami Ducem* ac *Arundellii Comi-*
tem, primarios Regni viros, *Robertum* item *Cottonum*,
 aliosque id genus ex equestri ordine, hujus antiquariæ
 D 3 supel-

supellectilis sedulos & indefessos scrutatores, etiam-
num recordatur. Unde præclarum illud viri inter
Britannos doctrina & eruditione celebris de Jacobæis
Hortis vulgatum alicubi testimonium. *Quem locum, si
vicinam Pinacothecam, Bibliotheca celeberrima conjunctam,
si NUMISMATA ANTIQUA Græca & Romana, si
statuas, & signa ex Ære & Marmore consideres, non imme-
rito Thesaurum antiquitatis, & τρυφερόν instructissimum no-
minare potes.* Omnium vero instar hoc loco, CHRIS-
TINA AUGUSTA, quæ ut superiorum atatum
decora & ornamenta, ita singularem quoque hujus
industriæ amorem ac peritiam, ex ultimo Septentrio-
ne secum in Urbem inexit. Quod ut documentis a-
liis publice, & benigna oris significatione, mihi ali-
quotiens privatim aperuit, ita incomparabilis in hoc
genere Nummorum Thesaurus, summo studio recens
ab ea congestus, ad memoriam posteritatis loquetur.
Eant itaque venusti & elegantiores homines, qui con-
temptu & ludibrio has artes, ut minus decoras, aut qua-
si in situ & squallore versantes, prosequuntur. Si tan-
tis enim ac tam splendidis nominibus & exemplis non
adfurgunt, nihil certe de hujus industriæ DIGNI-
TATE, de sua vero existimatione aut verecundia, non
parum forte detrahere censebuntur.

Patritius
Junius in
Not. ad E-
pist. Cle-
ment. ad
Corinth.

Suedorum.

COMMEN-
DATIO AL-
TERA A
VOLU-
PTATE.

I.
A Materia
Nummo-
rum.

Nec utique inferiorem huic elegantia veteri com-
mendationem, incredibilis quædam VOLUPTAS con-
ciliat. Quam innoxia enim illa & multiplex, immo quam
suavis & jucunda in Nummorum id genus contempla-
tione, vel ipso adspectu prodit sese & ostentat! Non hic
ego illam intelligo, quæ ex *Materia* pretio vel pulchritu-
dine exurgit; quæ alias vel sola in Nummorum tracta-
tione, singulare quoddam habet lenocinium voluptatis.
Festi-